Fragmentarium

suos et nichil inveniet. Apprehendet eum
quasi aqua inopia, nocte opprimet eum
tempestas. Tollet eum ventus urens et au-
feret, et velut turbo rapiet eum de loco suo.
et mittet super eum et non parcet. De manu
eius fugiens fugiet, stringet super eum manus
suas, et sibilabit super illum intuens locum
XXVIII. eius. Habet argentum venarum suarum
principia, et auro locus est in quo conflatur.
Ferrum de terra tollitur, et lapis solutus
calore in es vertitur. Tempus posuit tenebris.
et universorum finem ipse considerat. Lapidem
quoque caliginis et umbram mortis dividit
torrens a populo peregrinante. eos quos oblitus
est pes egentis hominis, et invios. Terra de
qua oriebatur panis, in loco suo igne subversa
est. Locus saphiri lapides eius, et glebe illius
aurum. Semitam ignoravit avis, nec intu-
itus est oculus vulturis. Non calcaverunt eam
filii institorum, nec pertransivit per eam leena.
Ad silicem extendit manum suam, subver-
tit a radicibus montes. In petris rivos scidit.
et omne preciosum vidit oculus eius. Profunda
quoque fluviorum scrutatus est, et abscondita
produxit in lucem. Sapientia vero ubi invenitur.
et quis est locus intelligentie? Nescit homo
pretium eius, nec invenitur in terra suaviter
viventium. Abyssus dicit non est in me,
et mare loquitur non est mecum. Non dabitur
aurum obrizum pro ea, nec appendetur ar-
gentum in commutatione eius. Non confe-
retur tinctis indie coloribus, nec lapidi sar-
donico preciosissimo vel saphiro. Non ade-
quabitur ei aurum vel vitrum, nec commu-
tabuntur pro ea vasa auri excelsa et eminen-
tia, non memorabuntur in comparatione eius.
Trahitur autem sapientia de occultis. Non
adequabitur ei topazion de ethyopia, nec
tincture mundissime componetur. Unde ergo
sapientia venit? Quis est locus intelligentie?
Abscondita est ab oculis omnium viventium.
Volucres quoque celi latet. Perditio et mors
dixerunt, auribus nostris audivimus famam
eius. Deus intelligit viam eius, et ipse no-
vit locum illius. Ipse enim fines mundi
intuetur, et omnia que sub celo sunt res-
picit. Qui fecit ventis pondus, et aquas
appendit mensura. Quando ponebat plu-
viis legem, et viam procellis sonantibus,
tunc vidit illam et enarravit, et preparavit
et investigavit, et dixit homini. Ecce ti-
mor domini ipsa est sapientia, et recedere a
XXIX. malo intelligentia. Addidit quoque iob
assumens parabolam suam, et dixit. Quis
michi tribuat ut sim iuxta menses pristinos,
secundum dies quibus deus custodiebat me, quando
splendebat lucerna eius super caput meum
et ad lumen eius ambulabam in tenebris.
Sicut fui in diebus adolescentie mee, quando
secreto deus erat in tabernaculo meo, quando
erat omnipotens mecum, et in circuitu pueri mei,
quando lavabam pedes meos butyro, et
petra fundebat michi rivos olei, quando pro-
cedebam ad portam civitatis, et in platea
parabant cathedram michi. Videbant me
iuvenes et abscondebantur, et senes as-
surgentes stabant. Principes cessabant
loqui, et digitum superponebant ori suo,
Vocem suam cohibebant duces, et lingua eo-
rum gutturi suo adherebat. Auris au-
diens beatificabat me, et oculus videns
testimonium reddebat michi. quod liberassem
pauperem vociferantem, et pupillum cui
non esset adiutor. Benedictio perituri super
me veniebat, et cor vidue consolatus
sum. Iusticia indutus sum. et vestivit me
sicut vestimento. et diademate iudicio meo.
Oculus fui ceco, et pes claudo. Pater eram
pauperum, et causam quam nesciebam
diligentissime investigabam. Conterebam

VIII B20/104

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17
STANDARDGRAPH
No. 9061

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/104, Fol. [1]r – Bible
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-o10b/6742/56598)